# QVÆSTIO MEDICA,

## CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iovis, XIX. Maii,

# M. NICOLAO PIETRE, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

*An diebus Æstatis ferventißimis vinum glacie diluere innoxium?*



OPTIMA est quadripartita anni distributio: illius pars altera habetur Æstas, quæ fervore aëris & siccitate distinguitur: fervor ferè non constans est: quandoque vehementior ineunte æstate, quandoque provectâ mollior: sæpius ferventissimum Æstatis tempus, est Hora Caniculæ: eo exorto sidere accensus aër, immoderato exardescit calore: nec ille esset ferendus ardor, ni hoc temporis intervallo, Etesiarum Aquilonum gratiore aurâ quodammodo leniretur: etiamnum tamen vehemens is est, vt interdum omnia, quodam quasi vredinis carbone exvrantur: incendii hujusce vim homo præcipuè persentit: tum illi conflagrant viscera, exæstuant spiritus, humores, præ cæteris bilis fervida facilè inflammatur, vnde tunc febres ardentissimæ vagantur periculosissimè, biliosâ sanie à venis, quę attrahendi vi pollent singulari, fervido aëris calore exsiccatis, vndique attractâ.

ÆSTVOSO Cęlo hominis vis penè omnis concidit, halitu expirat vitalis & primigenius humor, caloris ætherei fomes: succus alibilis disperditur, vixque alius sufficitur affectâ & penè prostratâ orexi, attamen tempestati consentaneâ: tum carnes, quæ alimenti optimi plurimum suppeditare possent, plerisque fastidiuntur, nauseamque movent: panis non adeo gratus est cibus: suaviora tùm habentur edulia, fugaces fructus omnes, cucumeres, melopepones, fungi, ancipiti eventu cibus, edules asparagi, helvellæ, & alia id genus terrâ nata, quæ succi bonitate non adeo præstant, vnde succrescit impuritas multa, semen futura Autumnalium morborum: vt cibus deterior sed suavior, non semper sit probandus.

VINVM, vuæ vitec succus, potu homini adeo gratum est, vt illius suavitate illectus, vnus animantium nullâ impulsus siti bibat: vini verò potum salutarem esse quis dubitat negatve? cùm id doceat vsus haud stolidus magister, confirmet ipsa ratio, vsûs norma & regula: sitim extinguit, nutrit, cordis labores sublevat, stomachi tędia discutit: vini frigidâ temperati pręci-

pua laus est : temperamentum varium, optimum illud quod igneam vini vim prorsus reprimit. Porro frigida concreta, glacies est : eximium illius habetur frigus, propterea vna è multis, vini generosissimi fervorem summum potissimè temperat, atque vtriusque mutuâ perfusione, huius & illius exuperantiâ ad moderationem quandam redactâ, comparatur potus, Sirio ardore, suavissimus, & minimè nocivus : ęquè suavis & innoxia lenioris vini glacie diluti potio, eâ temperie, vt vtrumque superetur, neutrum superet : glacies verò ea adhibenda quæ purissima est, & ex aqua fit fluviali potabili, omnium saluberrima.

EPOTA glacies vino temperata, refrigerandi vi qua pollet, vini tenuitate ceu vehiculo deducta, & longè latèque diffusa, corpus vniversum ęstivo cavmate quasi inflammatum, voluptate frigoris perfundit : vnde ęstuans stomachus, sensus appetitus sedes, recreatur, vnaque placatur sitis : ventriculus, & cętera, quæ apparant cibos, viscera accensa temperantur : Spiritus, humores ebullientes defervescunt : insitus cuique parti calor, & innatus humor, temperato hoc frigore conservatur, & vtriusque inhibetur dissipatio: vnde multò vegetior ille fit & huius substantia longè firmior, hinc ciborum maior appetentia, ventriculi validior concoctio, temperatior sanguis, solidius virium robur. Vt immeritò damnetur mensis glacies, cùm non minimùm iuvet, ope etiam Medica, neutiquam verò nocere possit.

ECQVÆ pernicies à glacie vino temperatè immixta, & æstu fervidissimo epota, cùm sincera deglutita, sæviente etiam frigore, nil prorsus lędat? Hyeme, cùm omnia sunt constricta gelu plerique gelidam pene conglaciatam liberaliùs bibunt, & incauti, nec opinantes glaciei frusta deuorant, nullo ventriculi damno, nullo caloris nativi dispendio : licèt tum temporis calor non validior fit, nec illius substantia vberior : Hyeme gelascit panis, estur tamen innoxiè : gelantur & cætera edulia, & nihilo deterior eorum succus: brassica commendatur glaciata, & eâ, non excussa glacie saporantur iuscula: dum trudunt flumina glaciem, ex his hausta aqua carnes sę[illegible]ius incoquuntur, nullo nocumento : non pauci bibunt illęsa valetudine cisterninam aquam, quæ Hyeme de nive & glacie soluta colligitur : quinetiam, Medicis authoribus, glaciatæ aquæ potu, Cordis palpitatio sedatur : deglutita sensim glacie, sanatur faucium inflammatio : comparatur ventriculo robur esu fructuum, qui iam temperie frigidi, nive glacieve conspersi fuerint : malefica vis hirudinis, quæ in præcordia subiit, devorata glacie eluditur. Et si gelu vitio, corrupta prorsus & depravata esset aqua, vino tamen aliove liquore medicata, illius potus cùm sanis indole fervidiore, tum ægris calore malè affectis, foret salutaris : ecquid aliud acetum quàm vinum depravatum ? eo meraco hausto quid nocentius ? attamen Medici consilio dilutum aqua, potus fit febricitantibus saluberrimus. Ita res est : Medicus rerum vitia emendat Arte sua : & Naturę hominum salutis perstudiosę, ęmulus, vnam hanc curam habet præcipuam, vt quę extant omnia, étiam quæ veneni speciem præ se ferunt, se dent, & cedant in humanæ salutis vsum.

*Ergo diebus Æstatis ferventißimis vinum glacie diluere innoxium.*

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS PERRAVLT, Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIX.

cette these est la 870e du tome V in folio des[illegible] recueil in folio de la faculté. ——